

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae criticae S. Vet. Test. Lineae

Brockmann, Georg

Gryphiae, [1780?]

VD18 12995509

Sectio III. Regulae Criticae.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15734

non priuandi, qui aut Veterum interpretum, aut Msptorum, aut antiquiorum editionum, aut Talmudis et Rabbinorum lectiones separatiim collegerunt.

§. 58. Ingens quidem est variantium, hucusque collectorum numerus, non tamen dubium est, quin adhuc augeri possit. In votis autem illud magis est, ut ex omni hoc apparatu lectiones, quae V.T. interpretationem facilitare possunt, prudentis Critici studio excerpantur.

S E C T I O III.

R e g u l a e C r i t i c a e.

§. 59. Cum in diuersis textus exemplaribus magna lectionum obseruetur diuersitas, nec quaenam ex illis genuina sit, textum cum Auctoriū autographis conferendo inuestigari possit, aliunde petitis rationibus, ad regulas Criticas examinandis, reliquis praferenda lectio definienda est.

§. 60. In inuestiganda autem et eligenda genuina lectione, Critici indicium *testimoniis* potissimum et *aequitate* regitur. Illa aut in ipsis textus codicibus exhibentur, aut ex versionibus et citationibus colliguntur: Haec lectio nem



nem perfectionibus Auctoris, qua talis, maxime conuenientem praferendam suadet. Testimoniorum consensu lectionis *Auctoritas*: conuenientia lectionis cum perfectionibus Auctoris illius *probitas* nititur.

§. 61. Cum, quem in codicibus impressis habemus, textus ex probae notae Mspitis fluixerit, (§. 26.) corrigendi pruritum proderet, qui eius lectiones, *probitate* non destitutas, sine graui ratione deferere, et pro mendosa habere vellet.

Quamvis enim codices impressi textum Masorethicum seruant, lectiones tamen inde a Sec. XII probatas exhibent

Criticorum regula: Lectionem rariorem *vistori* praferendam esse, fallere potest.

§. 62. Quodsi autem lectionem textus mendosam esse satis manifeste constet, de eius *emendatione* ex fontibus *S. Et. I.* huius capitulis indicatis, cogitandum est, ita tamen, ut in illorum usu, quam inculcavimus circumspectionem adhibeamus.

§. 63. Quo antiquiores, puriores, accuratiiores, plures, codices, versiones, citationes, lectioni testimonium perhibent, eo *maior* illius est auctoritas. (§. 60.)

§. 64. Quodsi autem inter hos testes non conueniat, caetera vero omnia paria sint, testi-



testimonium codicis versioni, versionis citationi, praferendum est. Plurimum tamen versionum atque citationum consensus, codicum auctoritatem; plurimum citationum conuenientia versionum auctoritatem minuere potest, si saltem testes debito modo numerentur.

Caetera paria sunt, si codices, versiones, citationes, studio ex textu originali factae, nec interpolatae aut correctae sunt.

§. 65. Ex pluribus autem lectionibus variantibus, *aequalis auctoritatis*, illa praferenda est, ex qua mendosam textus lectionem facillime nasci potuisse, *Cap. II. Sect. III.* ostendit.

Conf. CLERICI ars Critic. P. III. Sect. I. c. XVII. §. 21. 25.

§. 66. Criticus tamen, textum emendaturus probiori illius lectioni, aliam, solis testimoniis nixam, praeferre dubitabit.

Hanc ob caussam lectionem יְהִי רָא in Exod. 2, 22. cum DE ROSSI in תְּהִקְרָא mutare dubitarem.

SECTIO IV.

Critica coniecturalis.

§. 67. Si quis lectionem auctoritate nulla munitam, probabiliter tamen genuinam, atque in receptae locum substituendam iudicat,

Con-

